



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. 4. de Clericis non resid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

AD TITUL. IV.

De Clericis non residentibus

Ad num. 2. in medio post haec verba c. fin. de Rescript. in 6. Adde: Franc. De Arauxo disp. xi. q. 2. n. 33. De stat. Civili, ait, non esse ad eod certum talem residentiam esse de jure Divino naturali, eò quòd Trident. hoc clarè non definiverit, sed potius magis recommendaverit, uti patet in sess. 6. de Reformat. sess. 23. de Reformat. cap. 1. Quia nullibi additur de propria persona, cum munia illa pascendi absolute & simpliciter ab absente impleri possint per alium. Sicut Paulus pascebat per Epistolas Corinthios, Romanos, Ephesinos, ubi non residebat. Et Pontifex Romanus pascebat. Quamvis ut bene & competenter fiant, petant residentiam personalem, ut sit valde conformis juri Divino & naturali. Unde & in toto hoc titulo non fit mentio juris Divini. Et hinc frequenter solet & potest Ecclesia in hoc dispensare. Posito autem quòd sit, adhuc potest fieri propria dispensatio. Quia DEUS congruenter, ne Ecclesia deficeret in necessariis, reliquit Petro & successoribus delegatam potestatem dispensandi in praeceptis Divinis & naturalibus, quòd materia ob necessitatem vel justam causam potest honestari (quòd spectat praeceptum residendi,) & ab indecentia & inconvenientibus vindicari. Idem de stat. Eccles. q. 32. n. 40. probat. Munus Episcopale & matrimonii cujusdam spiritualis. Ergò propter vin-

culum hoc non licet Episcopis multum aut diu abesse à suis Ecclesiis. à pari; cum sit fortius carnali. Item Petrus se projecit in mare, ut denotaret teste Bernardo lib. 2. de Considerat. quòd in toto mundo debeat praesse. Discipuli nam egrediuntur ad significandum assistentiam, quam in suis Ecclesiis particularibus habere debeant.

Ad num. 9. in fin. adde. Canonici qui sunt in servitio Episcopi, tanquam residentes percipiunt fructus suarum praebendarum, praeter distributiones quotidianas. Gonz. ad cap. de cetero. 7. h. t. Fagnanus.

Si patitur Ecclesia Ministrorum defectum, privilegiati super absentia per subtractionem proventuum beneficii residere coguntur. Gonz. ad cap. Cura ad hoc 16. h. t. Fagnanus.

Absens studiorum causa fructus beneficii percipit, non quotidianas distributiones. Gonz. ad cap. liceat 32. de Praebend. Fagnan.

A D T I T. XVII.

De Emptione & Venditione.

Ad num. 10. in fine adde. Alii dividunt Censum in *Resignativum*, dum quis rem suam in alium transfert, reservando pensionem, & *Consignativum*, dum quis alteri hoc jus percipiendi vendit, qui rursus vel fundatur in tantum, & *realis*; vel in persona, & *personalis*; vel in utroque, & *mixtus* dicitur. Item alius *fructuarius*, dum quis ad fructus; alius *pecuniarius*, dum quis ad pecuniam obligatus est. Bonac.